



**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

**Oviedo, Francisco de
Lvgdvni, M.DC.LI.**

§. 3. Argumenta soluuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

cognoscuntur, ita vt tantum possit intellectus omnia simul sumpta discernere ab illo indiuiduo, in quo similes rationes non inueniantur, verbi gratia ab hoc equo, non vero possit in ipsis indiuiduis vnum ab alio discernere, nec possit intellectus dicere an plura, vel pauciora cognoscat, cum nihil representatur in omnibus, quod propter nimiam similitudinem in quolibet illorum non videatur reperiri, est enim cognitio illa cuiusdam obiecti veluti definitiui in modo cognoscendi, quia non magis discernitur in toto illo obiecto, quam in qualibet parte illius, seu in tota indiuiduorum collectione, quam in quolibet indiuiduorum contento sub illa collectione, ratione cuius similitudinis, seu condictionis in ordine ad nostrum intellectum, tota illa collectio apparet instar predicabilis secundum de totam de quocumque indiuiduo, etiam si tantum de quocumque indiuiduo possit predicari secundum rationem inadeguam, in qua cum illo identificatur, vt postea dicam. Explicata iam materia vniuersalis speciei, facile vniuersalis generici materia innotescit, sicut enim vniuersale specificum hominis fit ex collectione indiuiduorum, quae sub hominis specie continentur, & vniuersale specificum equi ex collectione indiuiduorum, quae continentur sub specie equi, & sic de aliis speciebus, vniuersale genericum fit ex collectione indiuiduorum, ex quibus sunt species, verbi gratia hoc vniuersale animal ex his indiuiduis hominis, ex quibus fit species hominis, & ex indiuiduis equi, ex quibus fit species equi, & sic ex omnibus indiuiduis contentis sub ratione communi animalis. Quae omnia indiuidua dicuntur vnum animal ex vi cognitionis, quae attinguntur in ordine ad operationes similes in quolibet illorum repertas, ex vi cuius omnia inter se confunduntur, & tantum distinguuntur a reliquis indiuiduis, & speciebus, in quibus ratio animalis non reperitur, videlicet a ligno, & lapide. Secundum hunc discurrendi modum materia vniuersalis speciei, & differentialis, videlicet hominis, & rationalis non distinguuntur, quia vtrumque vniuersale respicit eadem indiuidua tanquam inferiora, quorum collectionem vtrumque dicit pro materiali; distinguuntur autem vniuersalia, quia rationale tantum connotat rationationes, quorum fit principium, sicut animal tantum connotat sensationes, homo autem connotat sensationes, & rationationes tanquam procedentes ab vno principio indiuisibiliter significato, quod est homo.

Materiam vniuersalis esse collectionem omnium indiuiduorum iuxta non praecindentes obiectiui eiusdem rationibus probatur, quibus probauimus materiam vniuersalis, esse collectionem rationum abstractarum, & non vnam simplicem rationem abstractam in opinione obiectiui praecindendum. Secundum specialius probatur iuxta principia huius sententiae. Ablata vna ratione praecisa ex parte obiecti nihil potest intellectui obici, quod antecedit unitatem, quae in cognitione consistit, praeter indiuiduum aliquod, vel plura, quae simul cognoscantur, sed vnum indiuiduum est materia apta vt fiat vniuersale multis commune, neque vt illi tribuatur unitas extrinseca, siquidem illam habet intrinsecam in se ipso: ergo illud, quod obicitur tantum potest esse indiuiduorum collectio, seu plura indiuidua habentia operationes aded inter se similes, vt in ordine ad illas, possit intellectus instar vnius obiecti indiuisi ea omnia indiuidua cognoscere. Confirmatur per vniuersale constitutum vnum, & indiuisum illud, quod a parte rei erat multiplex, & diuisum antecedenter ad cognitionem, per quam fiat vniuersale: sed a parte rei antecedenter ad cognitionem per quam fit vniuersale tantum erat collectio indiuiduorum, quae dicit plura indiuidua inter se diuisa: ergo tantum haec indiuiduorum collectio fieri potest vna & indiuisa, seu vniuersalis.

§. III.

Argumenta soluta.

Occurrunt nonnulla soluenda argumenta contra doctrinam traditam, quibus solutis illius veritas clarius elucet.

Obiicies primò. Collectio indiuiduorum non potest predicari de quolibet indiuiduo, seu inferiori contento sub vniuersali: sed vniuersale predicatur de quolibet infe-

riori sub illo contento: ergo vniuersale non dicit totam collectionem indiuiduorum, seu inferiorum, quae sub continet. Idem argumentum fit contra doctrinam traditam iuxta opinionem obiectiui praecindendum, quorum vniuersale diximus continere plures rationes abstractas inter se distinctas, quarum collectio de nullo inferiori potest predicari. Respondeo vniuersale predicari de omnibus indiuiduis non secundum se totum, sed secundum aliquam partem sui, quae apparet instar totius, quia intellectus non decernit inter partem, & totum, propter confusionem partium vniuersalis, videlicet singulorum indiuiduorum cum toto vniuersali, seu cum tota collectione indiuiduorum: collectio enim illa, vt supra dicebam, representatur quasi definitiui modo, ita vt non magis apparere videatur in tota illa simul sumpta, quam in qualibet parte illius, representatur enim qualibet pars sine ratione per quam in ordine ad intellectum distinguitur a comparte, & ita vt non distincta ex parte actus ab alia comparte, & consequenter vt non distincta a toto, quia pars tantum differt a toto per aliam compartem, cum qua simul totum componit, & non cognita alia comparte vt distincta, nulum est caput, ex quo cognoscatur pars vt distincta a toto. Ad argumentum in forma respondeo: Collectio, quam dicit vniuersale non predicatur de quolibet indiuiduo: aequialenter, & quoad modum predicandi, nego: ratione materiae, subdistinguo; secundum se totam, concedo; secundum aliquam partem sui, nego. Itaque collectio est predicabilis de pluribus indiuiduis, seu inferioribus secundum plures rationes, quas includit abstractas a pluribus inferioribus siue abstractione obiectiui, siue formali, & est predicabilis de quolibet indiuiduo seorsim sumpto secundum rationem abstractam ab illo indiuiduo, quae in illa collectione includitur.

Obiicies secundò. Si in hac predicatione *Petrus est homo*, non predicatur vniuersitas illa singularium saltem materialiter, sed vnum tantum, quod identificatur cum Petro, predicatio non erit vniuersalis, sed singularis. Respondeo in predicatione naturae vniuersalis de inferiori sub illa contento, predicatum non retinere vniuersalitatem, quam antea habebat, sed contrahi subiectum ad rationem illam inferiorem, quae subiectum circumscribitur. Dicitur autem predicatione naturae vniuersalis, quia est predicatum cuiusdam naturae, quae continebatur in illo vniuersali, quod per aggregationem inferiorum erat constitutum, & quia eodem modo significatur iam contracta in actuali predicatione, quo significabatur aggregatum, in quo continebatur, in hac enim predicatione *Petrus est homo*, ratio hominis identificata cum Petro, quae tantum se tenet ex parte predicati, eodem modo significatur, quo significabatur tota collectio hominum in hoc vniuersali specifico *homo*.

Obiicies tertio. In hac predicatione *Petrus est homo*, tantum se tenet ex parte predicati ratio hominis identificata cum Petro, & nihilominus est predicatione vniuersalis: ergo haec predicationes *Petrus est Petrus*; *Petrus est quidam homo*; *Petrus est hic homo*, erunt predicationes naturae vniuersalis, quia illarum qualibet idem dicit ex parte predicati, ac dicit propositio illa *Petrus est homo*. Respondeo praedictas propositiones non esse naturae vniuersalis, quia non dicunt ex parte predicati naturam identificatam cum Petro, quae in vniuersali continetur, eodem modo significatam, quo significatur totum vniuersale *homo*, sed affectam signo particulari, aut demonstratiuo, quibus non afficitur predicatum huius propositionis naturae vniuersalis *Petrus est homo*. Adde in hac propositione predicatum nominis praecise quatenus significatur ex parte predicati praecindere ex parte actus, vel ex parte obiecti eo modo, quo praecisiones admittuntur a differentiis indiuisibilibus, in illis vero non praecindere, quia signum particulare, & demonstratiuum illas important.

Obiicies quarto. Vniuersale est aggregatum omnium indiuiduorum: ergo hoc complexum *omnis homo* erit vniuersale. Respondeo negando consequentiam, quia in illo complexo significantur singularia distincta inter se, quia complexum illud ratione signi *omnis* resoluitur formaliter in istud, *hic homo*, & *hic homo*, & *hic homo*, &c. Sed instabis etiam in aggregato, in quo nos vniuersale constituimus, significantur indiuidua vt distincta inter se: ergo eadem est ratio in vtroque. Probatur assumptum: indiuidua significantur et similia: ergo vt extrema distincta, relatio

enim similitudinis non potest esse nisi inter extrema similia. Respondeo in vniuersali non significari indiuidua vt similia formaliter, & positivè, sed materialiter, & negativè, quia tantum significantur non differentia inter se propter similitudinem fundamentalem, quam habent, quæ apparet veluti quædam identitas, cum propter illam non possit intellectus vnum indiuiduum ab alio discernere.

PUNCTUM VI.

De aptitudine vniuersalis ad essendum in multis, & predicandum de multis.

1 **T** Homistæ ferè omnes, in quibus est Rub. q. 4. proœcial. n. 58. qui censent vnitatem vniuersalis esse ens rationis, eodem modo de aptitudine vniuersalis ad essendum in multis philosophantur, qui reiiciendi sunt rationibus infra dandis, & ex his, quæ contra illos de vnitatem vniuersalis tradidimus. P. Fonseca, & alij, qui nescio quam vnitatem multis communem naturæ intrinsecam meditantur, aptitudinem ad essendum in multis eodem modo intrinsecam eidem naturæ largiuntur, qui eodem modo reiiciendi sunt circa præsentem difficultatem, quo reiecti sunt circa vniuersalis vnitatem. Hurtadus, Arriaga, & ferè omnes recentes, qui asserunt vnitatem consistere in cognitione, in eadem aptitudinem constituunt, asseruntque naturam esse aptam vt sit in multis, & vt predicetur de multis dicere in natura denominationem quandam extrinsecam à cognitione desumptam. Quid in questione tantum de nomine sentiendum sit, paucis explicabo.

2 Dupliciter potest natura vniuersalis considerari apta esse in multis, aut actu in multis. Primò physicè, & realiter, secundò intentionaliter, seu in ordine ad nostrum intellectum. Dicam prius quid circa aptitudinem, & existentiam physicam sentiendum sit, & postea ad intentionalem procedam.

3 **SIT PRIMA CONCLUSIO:** Existencia realis & physica naturæ vniuersalis in suis inferioribus conuenit illi realiter & physicè ratione partium quas includit. Ratio est, quia hæc existencia nihil aliud est, quam identitas singularium cum partibus materialibus vniuersalis: sed identitas non distinguitur ab ipsa natura identificata: ergo cum singularia, quæ identificantur sint realia; identitas singularium, quæ est existencia physica vniuersalis in suis inferioribus, ab ipsis singularibus non distinguetur, & eiusdem rationis erit cum illis. Consulto dixi hæc existentiam in multis vniuersali realiter conuenire ratione partium, & non ratione totius, quia cum totum non sit reale physicum, sed tantum intentionale, nihil potest illi conuenire ratione sui independentem ab intellectu. Secundò, quia physicè totum nullam aliam habet identitatem cum partibus, præter illam quam singulæ partes habent cum inferioribus; eadem enim inferiora confusè cognita partes vniuersalis constituuntur, & ex hac identitate partium cum inferioribus resultat totum dici cum illis identificari. Itaque sicuti singula indiuidua, quæ in re erant plura, per abstractionem extrinsecè sunt vna natura vniuersalis, sic singulæ existentie indiuiduorum in se ipsis per abstractionem dicuntur vna aptitudo naturæ vniuersalis ad essendum in multis cum accommodata distributione, quæ de pluribus diximus prædicari. Ob hanc rationem doctè dixit Smigletius disp. 4. q. 1. n. 33. posita abstractione sequi ordinem, & aptitudinem naturæ ad essendum in multis, licet enim hanc aptitudinem habeat natura à parte rei, quia reuera est in multis; tamen non habet à parte rei aptitudinem per modum vnius, & cum multis, sed diuisa, & non vna: vnde hæc aptitudo non est realis, sed rationis, quia est fundata in abstractione, quæ fit per rationem. Per ly *rationem* non ficta, sed intentionalis aptitudo intelligenda est.

4 **SECUNDA CONCLUSIO:** Ad actum existendi in multis per identitatem propriè loquendo nulla supponitur aptitudo, seu potentia, quia hic actus tantum dicit identitatem indiuiduorum secum ipsis; nulla autem entitas est potens identificari secum: quia identitas illi conuenit per suammet entitatem, ad quam in eadem entitate nulla potest potentia supponi. Sicuti de aptitudine ad existendum dicam Controv. 2. Metaph. quam dicam propriè non fuisse potentiam, cum quilibet res per se ipsam existat, quod clariùs cernitur in nostro casu; in quocumque enim statu

consideretur entitas, consideratur identificata secum ipsa, sic homo possibilis identificatur cum animali rationali possibili, & homo existens cum animali rationali existenti. Hæc de existentia physica naturæ vniuersalis in multis: venio iam ad existentiam intentionalem.

Duplicem existentiam intentionalem in inferioribus circa naturam vniuersalis contemplan. Prima, quæ fit per simplicem comparationem, quæ sine iudicio naturæ cognoscitur, instar respicientis inferiora de quibus potest prædicari, quæ conuenientia solet significari per hæc complexa, *natura ad inferiora; natura cum inferioribus; natura in inferioribus*, quæ conuenientia exprimitur quacumque relationi apprehensione, quotiescumque enim apprehendo patrem, apprehendo cum ordine ad filium, nullo iudicio intercedente; & cum quis dubitat an alia sint paria, apprehendit conuenientiam inter astra, & numerum patrem, nullumque conficit iudicium, imò sæpe apprehendimus totam propositionem ab alio prolata, & totum obiectum illius, & nullum iudicium ferimus de illo obiecto; postquam enim ego audio hominem dicentem, *Petrus currit*, sæpe obiecto apprehenso hæret intellectus, nullumque fert iudicium de obiecto proposito. Alia existentia intentionalis fit per comparationem compositam, quæ formaliter dicit iudicium, ex vi cuius enunciamus hoc esse illud. His præmissis rem definio.

SIT TERTIA CONCLUSIO. Per puram abstractionem naturæ ab inferioribus, quæ iam præcognita supponuntur, natura fit apta, & proximè potens vt comparetur per simplicem comparationem ad plura indiuidua. Probo hæc conclusionem: Ante ipsam comparationem nullus potest esse proximior naturæ status ad comparationem, quam status abstractionis, neque alius actus immediatus simplici comparationi potest excogitari, quam status abstractionis: ergo per hanc abstractionem constituitur natura proximè potens comparari ad plura, seu esse in pluribus per simplicem comparationem. Ex hac conclusione inferitur aptitudinem ad existendum intentionalem in multis per simplicem comparationem esse realem intentionalem, siquidem identificatur cum abstractione, quæ est realis cognitio.

QUARTA CONCLUSIO: Existencia naturæ vniuersalis in inferioribus per simplicem comparationem consistit formaliter in actu, quo intellectus naturam, quam iam à multis abstraxerat ad eam comparat tanquam ad extrema, cum quibus habet conuenientiam, seu identitatem, quam intellectus per illum actum apprehendit, & non iudicat. Probo clare: esse in multis intentionaliter, dicit vt illud esse in multis, quod in se habet obiectum, habeat in mea intentione, seu in meo intellectu: ergo dicit, quod ego illud cognoscam; ergo dicit meam cognitionem: ergo comparatio naturæ ad multa dicit meam cognitionem: ergo comparatio non composita, seu non iudicativa dicit cognitionem, quæ non sit iudicium: ergo dicit apprehensionem.

QUINTA CONCLUSIO. Hæc comparatio simplex naturæ ad multa, seu hæc apprehensio, in qua sita est prædicta comparatio non habet pro obiecto aliquod ens rationis, neque naturam abstractionem respicit formaliter vt habentem ordinem seu relationem ad inferiora, sed tantum instar habentis ordinem, seu relationem ad illam, eo modo, quo intellectus apprehendit Angelum non vt iuuenem, sed instar iuuenis. Probo hæc conclusionem: composita comparatio naturæ superioris ad inferiora, quæ illam de his prædico, vt cum dico *Petrus est homo, Ioannes est homo*, non habet pro obiecto aliquod ens rationis: ergo neque simplex; vtrique enim est inter obiecta identificata, neque maior ordo, seu relatio cognoscitur ex vi iudicii circa extremorum identitatem, quam ex vi apprehensionis circa eandem identitatem: ergo sicuti iudicium fertur per comparationem compositam naturæ superioris ad inferiora absque vilo figmento, sic potest dari apprehensio comparans naturam superiorem ad inferiora absque vilo figmento. Ratio à priori est, quia neutra formalis comparatio respicit relationem aliquam formalem ex parte obiecti, quæ esset rationis, quia relatio realis inter extrema identificata nequit reperiri, sed tantum obiectum exprimat modo relatiuo representatum, quasi bis eadem indiuidua cognoscerentur, semel confusè per modum vnius naturæ vniuersalis, & iterum distinctè, ac si distinguerentur ab illo obiecto, quod confusè per eandem cognitionem repræsen-